3

MULIER OBSTANS IN CAUSIS CIVILIBUS, ET HIS QVIDEM VEL SECULARIBUS VEL ECCLESIASTICIS, ET CRIMINALIBUS,

LOCO SPECIMINIS INAUGURALIS

SUB AUSPICIIS DEI T. O. TERQVE MAXIMI

ANNUENTE

AMPLISSIMA FACULTATE JURIDICA,

IN ILLUSTRI ET PERANTIQVA ELECTORALI UNIVERSITATE ERFURTENSI,

PRÆSIDE

PRÆLAUDATÆ FACULTATIS

DECANO,

DN. ERNESTO TENZELIO,

J. U. D.

CONSIL. REGIMINIS ELECTOR. MOGUNTIN. JUDICII PROVINC. ASSESS. CONSULE CIVIT. PRIMAR. ET REL.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

IN AUDITORIO JURECONSULTORUM MAJORI,

HORIS CONSVETIS,

DIE III. MAJI ANNO MDCCXVII.

ERUDITORUM CENSURÆ EXPOSITA

A

JOHANNE GEORGIO HOYERO, ANDREÆ MONTAN. CHERUSCO.

ERFORDIÆ, LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

5

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

E. T. Θ.

PARTIS GENERALIS.

§. I.

UT rubrum reſpondeat nigro, & nigrum vice verſa conveniat rubro, non unum erit, ſed plura conſideranda objecta. Ne vero confundantur, quæ explicate tradenda ſunt, ab initio generaliora præmittemus, & deinde ad ſpecialiora noſtra ſeſe convertet diſputatio.

§. II.

De muliere vero obſtante acturus, ante omnia dicam, & paucis, qvid velim, & quæ ſit deſcriptio hujusmodi mulieris, qva allata, qvilibet facillime percipiet, qvid Titulus, oculo fugitivo inſpicientibus qvodammodo obſcurus, involvat,

§. III.

Non abs re qvidem eſſet, ſi methodo, qvæ conſvetudinis inſtar à plerisqve Diſſertationum ſcriptoribus obſervatur, de Etymologia, Synonymia, & Homonymia ea qvæ huc ſpectant, afferrem, ſed cum hæc omnia ſint facilia, ideo

omiſſis his omnibus non cortices, ſed nucem ipſam, ut metaphora utar, me Lectori exhibuiſſe contentus ero.

§. IV.

Delineatio vero, vel ſi mavis deſcriptio mulieris obſtantis, in cauſis *Civilibus iisque vel ſecularibus, vel eccleſiaſticis & criminalibus*, meo qvidem judicio eſt hæc: *quod ſit perſona, quæ ob favorem ſexus ſui, jure pro ſe introducto, aliis impedimento eſt, quo minus jure ſuo commode uti poſſint.*

§. V.

Ex mea itaqve deſcriptione patet, qvod de qvibusdam Privilegiis Mulierum, jure Civili, Canonico, Saxonico, & moribus,introductis, dicturus ſim; qva occaſione etiam ratio inqvirenda eſt, qvare ſcilicet tot, tantiqve favores, tot, & tam magna beneficia mulierculis ſint conceſſa, qvæ ipſis inſignem præ viris eminentiam, & prærogativam tribuunt Notanter dico eminentiam, qvod non ſic accipi velim, ac ſi ſexus muliebris ſit præſtantior ſexu maſculo, ſiqvidem hæc ſententia eſſet contraria ſacris paginis, & ſanæ rationi, ſed eo reſpectu ipſis eminentiam tribuo, quo fœminæ, ut in ſequentibus prolixius deducetur, multis muniuntur contra viros, tamqvam aſtutiores, & ad decipiendum proniores, juris ſubſidiis.

§. VI.

Sed cum hæc diſputo, contra me omnes conſpirare audio,qui negant,recte à Juſtiniano, fœmineo iſto principe, & ejus ſucceſſoribus, conceſſos eſſe ſexui ſeqviori favores. Interim qvicqvid ficulnearum rationum pro corroboranda ſententia ſua afferant contrariæ opinionis propugnatores, omnes aut nullius plane, aut exigui erunt momenti.

§. VII.

In ſcenam qvasdam producam. Eminet ex illorum hypotheſi inter omnes illa ratio: muliere nihil aſtutius,nihil pejus, & hinc male ipſis dari privilegia,qvæ nihil aliud ſint,qvam improbitatis mulierum patrocinia. Ad hæc vero omnia reſpondetur, qvod à particulari ad univerſitale non valeat rite deducta

ducta conſeqventia. Licet enim non poſſit negari , qvod multæ dentur fœminæ , qvæ tot vitiis ſcateant , ut revera peſſimæ poſſint vocari; licet etiam verum ſit , qvod fœminæ interdum ſint aſtutiores ipſis viris , attamen concluſionem , ex præmiſſis falſis , falſam etiam deduci , neceſſe eſt. Qvidſi enim argumentum ejusmodi includeretur terminis. Qvo nihil pejus , nihil doloſius , nihil aſtutius datur , illi nulla privilegia ſunt concedenda. Atqvi mulieribus nihil datur pejus, nihil aſtutius, nihil doloſius. Ergo mulieribus nulla privilegia ſunt concedenda. Non opus eſſe judicio , ut refutationem hujus ratiocinii afferam , qvia ex dictis conſtat, & Majorem , & Minorem propoſitionem falſas aſſe. Nec minorem ad ſtabiliendum ſuppoſitum : omnia mulieribus privilegia eſſe deneganda , cenſent hujus erroris defenſores, eſſe rationem : qvod ſexus muliebris ſit noſtræ infelicitatis cauſa , & hinc cane pejus & angue vitandus , deteſtandus. Prius inprimis exemplo communis omnium hominum progenetricis , Evam putant , adſtruere conantur. Omnibus enim cognitum eſſe dicunt , qvod mediante muliere ex ſtatu felicitatis , integritatis , perfectionis , & juſtitiæ , tota hominum progenies fuerit deducta ad ſtatum miſeriæ , infelicitatis , corruptionis , imperfectionis, & neqvitiæ , qvod non accidiſſe judicant , niſi prima mulier blanditiis , & callidis perſvaſionibus viciſſet Adamum; ſed qvis non primo intuitu infirmitate,& morbo judicii laborare hanc aſſertionem,percipit, Ergone mulieres deteſtandæ ſunt, qvia primæ mulieris malitia feliciſſimum amiſimus ſtatum ? neutiqvam; qvod enim ab una mulierum factum eſt , non toti mulierum generi nec poteſt , nec debet imputari. Deinde etiam notum eſt , qvod, quemadmodum ab una muliere proceſſerit noſtra miſeria, ſic ab altera, matre ſcil. illa ſanctiſſima Salvatoris noſtri proceſſit omnis felicitas.

§. VIII.

His objectionibus ſublatis, mearum erit partium , ut promisſis quæ §. 5. feci, ſatisfacturus , veras , & genuinas

rationes in medium proferam, quæ impulerint Imperatores, ut tam benigno in fœminas uterentur animo, quibus conſideratis, ad ipſam tractationem de muliere obſtante ſpecialem progredi, animus eſt.

§. IX.

Notum eſt, quod jus divinum jubeat mulieribus honorem habere. Expreſſa enim Spiritus S. verba leguntur 1. Petr. 3. v. 7. ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμήν: tanquam infirmiori vaſi muliebri retribuentes honorem. Quæ fragilitas, & infirmitas etiam cauſa impulſiva fuit ſummis principibus, ut multas leges conderent, quæ fœminis deceptis, & errantibus ſuccurrerent. Hinc Juſtinianus melius ſubveniendum eſſe judicat mulieribus ob ſexus fragilitatem *l. 20. C. de donat. ant. nupt.* easque miſeratione dignas eſſa judicat *in l. aſſiduis C. qui pot. in pign.* in qua lege verba finalia maximum pondus huic rei præſtant. Dicit enim Imperator: *non pro lucro fovemus mulieres, ſed ne damnum patiantur, ſuisque rebus defraudentur, curamus.* Ex quibus apparet, mulierem doloſe allegantem privilegia, non eſſe audiendam, ſed à limine judicii repellendam. Et ſi jura, & leges legibus concordentur. *l. 22. C. ad SCt. vellej. l. 1. C. quand. mul. tut offic. fungant. l. 5. §. 3. ad L. Jul. Maj. Nov. 61. c. 1. & 2. Nov 97 c. 3.* mentionem faciunt fragilitatis, infirmitatis, facilis ſeductionis, mulierum & circumventionum, quibus falluntur. Recte itaque ſummi legislatores auxilium præſtiterunt ſexui fœmineo, ſive ſpectemus infirmitatem conſiliorum, quæ capiunt, ſive illud, quod præ viris calliditati malorum hominum ſint ſuppoſiti.

§. X.

Priusquam ad partem ſpecialem tranſeam, ad majorem deſcriptionis, quam poſui, mulieris obſtantis, explicationem, monendum eſſe cenſui, quod iſtæ Phraſes obſtare, & τὸ impedimento eſſe idem ſignificent, quod neminem fugiet, qui iſtam de verborum ſignificatione doctrinam, leviter deguſtavit. Deinde ad illuſtrationem reliquarum deſcriptionis

ptionis partium, & inprimis illorum verborum, quo minus jure ſuo uti commode poſſint, notetur, quod hic intelligendi ſint termini habiles, probeque obſervandum, nec ſemper mulierem aliis eſſe impedimento, nec omnibus, ſed iis tantum, contra quos jura ipſis ſubvenerunt. Sic exempli loco quid notius, quam illa juris regula: privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur jure ſuo; Cum itaque fœminæ cum fœminis, vel minore, mentecapto, furioſo, pupillo, & aliis perſonis, quæ iisdem favoribus cum ſequiori gaudent ſexu, imo quandoque majoribus, lis intercedat, tunc regulariter elegans illud Juris brocardicum obtinebit certiſſime. Et hoc de parte generali, nunc ad partem ſpecialem.

PARTIS SPECIALIS.

§. I.

Conſideratis iis, quæ ad generaliorem mulieris obſtantis conceptum formandum erant neceſſaria, etiam ſpecialiorem ejusmodi perſonæ anatomen inſtituam. Duplici vero ratione fœminas potiſſimum obſtare deprehendo, & hoc quidem pro diverſitate cauſarum. Vel enim obſtant in cauſis civilibus, hisque l. ſecularibus, vel eccleſiiaſticis, & criminalibus.

§. II.

Ut de cauſis civilibus initium faciam, explicabo prius, quid per cauſas civiles intelligam. Nullas alias vero, ſecundum modernum judiciorum noſtrorum ſtatum, ad hanc claſſem referri poſſe arbitror, quam quæ coram Magiſtratu civili ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico tractantur. Sic huc pertinebunt omnes contractus, omnia pacta, & conventiones, quemadmodum etiam quæſtiones de ſtatu, actiones præjudiciales producentes.

§. III.

§. III.

Quid vero de cauſis prætoriis dicendum, an hæ quoque ad civiles pertinebunt? & hic cenſeo, quod ſicuti civiles aliter dicuntur in oppoſitione ad cauſas criminales, aliter vero in oppoſitione ad cauſas prætorias, ita civiles eſſe in ſignificatu priori, ſecus vero in poſteriori.

§. IV.

His generaliter expoſitis, ordine certo nunc recenſebo, in quibus cauſis civilibus fœminæ obſtaculum maſculorum, ſexusque interdum homogenei appellari poſſint, & enarratis potioribus ad judicem ſecularem ſpectantibus, ad cauſas eccleſiaſticas faciam tranſitum & deinceps agmen claudent cauſæ criminales.

§. V.

Inter omnes autem ferme modos, quibus mulierum genus aliis poteſt eſſe impedimento, ſaluberrimum reſtitutionis in integrum remedium eminere, quilibet ambabus conconcedet manibus, ſive ſpectemus commoda, quæ exinde proveniunt uberima, ſive ponderemus iſtius amplitudinem, quo ob generalitatem hujus aurei privilegii mulierculis deceptis, & aliorum impoſturis, & technis obnoxiis, ad hanc veluti ſacram anchoram confugere licet.

§. VI.

Non vero uno, eodemque modo contingit læſis captis, & circumventis reſtitutio in integrum, nec uno, eodemqve reſpectu jura concedunt eandem, ſed I. minoribus læſis datur reſtitutio, vel majoribus. Priori modo inter fœminas & mares nullum deprehendo diſcrimen; cum æquali jure gaudeant, recipiantqve tutores, & curatores *pr. I. de Curat.* Majores vero qvod ſpectat, inter illorum, Minorumqve reſtitutionem hoc inprimis intercedit diſcrimen, qvod Majores XXV. Jure vero Saxonico XXI. annis non reſtituantur, niſi ob abſentiam, aliasqve juſtas cauſas, Prætoris arbitrio reſervatas *per l. 1. pr. ff. ex quib. cauſ. majores XXV. ann. in integr. reſtit.*

Mino-

Minoribus vero ob qvamcunqve læſionem *arg. l. 1. ff. de Minor. Bachov. h. c. 2. n. 1.* ſucurratur.

§. VII.

Mitto idcirco maſculos, cum mihi nullum in præſenti Diſſertatione cum illis intercedat negotium, ſed de fœminis dicendum ſit. His ſuccurritur à judice, ſi dolo aliorum damnum ipſis datum fuerit, ex qvo etiam reſtitutionem in integrum fœminis competentem deſcribo, qvod ſit auxilium Prætoris, illis ſine culpa ſuæ læſis conceſſum, intra tempus legitimum, implorandum, pro jure priſtino impetrando. Vel brevius, qvod ſit redintegrandæ rei fœminarum, vel cauſæ actio, & remedium.

§. IIX.

Non ſolum natu minoribus fœminis datur reſtitutio in integrum, ſed qvoqve natu majoribus, & hoc inprimis ob ſexus fragilitatem ad exemplum minorum, probat id *l. 1. §. ult. de edend.* ubi verba, *ob ſexum lapſis ſubvenietur* reſtitutionem in integrum indigitant, jung. *l. 1. C. de uxor. milit. ibi:* qvod fœminis ad exemplum militum ſubvenietur. Ex qvibus locis conſtare putat *Jacobi in diſſert. pecul. de auxil. reſtit. in integr. ſexui fœmin. de jur. commun. & Saxon. compet. cap. 1. §. 14.* vocem *ſubvenire* pro reſtitutione Minorum uſurpari apud JCtos. Sed admodũ dubium videtur, an ob textus antea allegatos generaliter poſſit aſſeri, fœmininas reſtitutione minorũ gaudere *ob l. 32. ff. ad SCt. Vellej.* ubi claris verbis dicitur: *quod non per omnia loco minoris XXV. quinque annis circumſcripti habenda ſit mulier.*

§. IX.

Hinc optime illos rem agere arbitror, qvi mediam eligentes viam, in qvibusdam caſibus fœminis ſolum ob ſexus fragilitatem Jure Civili ſuccurri judicant, uti patet ex *l. 1. §. ult. ff. de edend.* qvæ vult, ut lapſis ob ætatem, vel ſexum ſubveniatur, quod & *l. 20. C. de donat. ante nupt. it. l. fin. C. de jur. & facti ignor.* approbat Quod vero Jus Saxonicum attinet, non inter ſe conveniunt Dd., an privilegio Minorum gaudeat mulier. Negat *Cz. P. 2. C. 15. def. 33. Weſenb. Conſil. 27. n. 11.* & alii. Affirmativam vero veriorem certa adhibita reſtrictione

one cenſet *Stryek. in Uſ. modern. π. L. 4. tit. 4. §. 18.* qvi pro ſua ſtantes ſententia nominat *Conſult. Saxon. Tom. 1. P. 1. qv. 42.* Philipp. *ad Deciſ. ſaxon. 4 obſerv. 5. n. 13.* motus autoritate *d. elect. deciſ. 4. verb* und denn die Weiber mit denen Minderjahrigen/ und communen diſſfals nicht ungleiches Recht haben. Qvam ſententiam Stryckii ideo veram eſſe arbitror, qvia in *alleg. deciſ 4.* Sereniſſimus Elector expreſſam reſtitutionis in integrum mentionem facit, & hanc fœminis certo modo cum Minoribus competere vult.

§. X.

Sed antequm ad ſpecialiora progrediar, & hoc monendum eſſe mihi viſum eſt, fœminis doloſe agentibus, nullum dari juris favorem, & nullo modo poſſe nocere aliis aſtutiam, & fraudulofas circumventiones mulierum. Tunc enim illis ſuccurrendum, cum defenduntur, non ut facilius calumnientur. *l. 110. §. 4. de R. J.* & jus civile tantum mulieribus deceptis, non vero decipientibus auxilium præſtat *l. 2. 23. & 30. ff. ad SCt. Vellej.* Et hinc ſi mulier furto rem abſtulit, l. injuria alium affecit, vel in contractu emtionis-venditionis falſum pondus, menſuramve adhibuit, vel quocunque modo doloſe, & fraudulenter egit, implorare minime poteſt officium judicis, ut in integrum reſtituatur, ſi ſententia judicis vel ad pœnam luendam, vel damnum reſarciendum, vel ſatisfactionem, decepto, vel læſo præſtandam, condemnata fuerit, huc pertinet *l. aſſiduis C. qui potior. in pign.* § *9.* in part. general. allegata.

§. XI.

Nec omittendum eſt tempus, intra quod reſtitutionem petere liceat. Alias anim operam, oleumque perdent implorantes judicem fœminæ, tempore præterlapſo. Differentia hic inter jus vetus, & novum probe eſt notanda. Jure veteri annus utilis erat terminus reſtitutionis cujuslibet peremtorius. *l. 6. ff. de alien jud. mut. cauſ.* juncta *l. 14. §. 1. quod met. cauſ.* Annus utilis vero trifariam dicitur 1) ſi actor habet experiundi poteſtatem. 2) ſi reus præſtet ſui conveniendi facultatem & 3) ſi judicis copia adſit *l. 1. de diverſ. temporal. præſcript.*

&

& opponitur annus utilis continuo, in quem inutiles quoque dies ſive feriati computantur. Jure novo non una, eademque omnium reſtitutionis cauſarum eſt conditio, in aliis enim *biennio*, in aliis *quadriennio*, quin etiam in quibusdam quinquennio reſtitutio rite petebatur. Sic Conſtantinus in reſtitutione ex cauſa doli annum utilem mutavit in biennium *l. ult. C. de dol. mal.* in cauſa vero Minorum Romæ, & intra centeſimum ab urbe lapidem quinquennium, in Italia reliqua quadriennium, & in provinciis triennium obtinuit *L. 2. Cod. Theodoſ. de integr. reſt.* Quam differentiam Conſtantini partim correxit Juſtinianus, partim auxit. *l. ult. de temporal. in integr. reſtit.* Correxit quoad differentiam locorum; auxit in reſtitutione Majorum ex capite abſentiæ, loco anni utilis quadriennium conſtituens continuum. Quæ omnia à ſupra laudato *Celeb. Franzkio ad ff. L. 4. tit. 1.* magno eruditionis apparatu deducta ſunt.

§. XII.

Explicavi nunc, qvomodo in genere mulieres obſtent, reſtitutione in integrum. Tempus qvoqve eſt, ut oſtendam modos, quibus in ſpecie in cauſis civilibus indiſtincte perſonis, cum qvibus ipſis in judicio lis peragenda eſt, magna afferant præjudicia.

§. XIII.

Inprimis incaute agunt. qvi cum mulieribus ſive ſolutis, ſive maritatis in Saxonia Electorali, vel ubicunqve jus Saxonicum electorale obſervatur contrahunt, vel paciſcuntur ſine curatorum, vel tutorum conſenſu, & interpoſita autoritate; omnia enim, qvæcunqve fœminæ in judicio, vel extra judicium agant, ſine donent, ſine vendant, aliove modo contrahant, omnes iſti actus ipſo jure ſunt nulli per *Conſt. Elector. 15. adde* Land-R. *L. 1. art. 44.* qua conſtitutione illuſtriſſimus Elector Saxoniæ imbecillitati muliebri conſulere voluit, ne inopia Conſilii circumventæ læderentur. Adeo, ut etiam invalida ſit mulierum conventio, etiamſi juramentum acceſſerit. *Moller. n. 19. & Joh. Zang. de except. p. 3. c. 11. n. 201.* Qvod ultimum qvidem juri Canonico manifeſte contrari-

trarium eſt, qvo ſanctè & religioſe juramenta ſervari debent, juxta tradita *Andr. Gail. L. 2. obſerv. 39.* De majoribus vero mihi ſermo eſt, qvoad minores enim expediti juris eſt, qvod hæ nihil poſſint ſine tutoribus, vel curatoribus in judicio, vel extra judicium peragere, exceptis teſtamenti factione, & promiſſione matrimonii cum ſimilibus. Notabilis in hac re differentia deprehenditur, inter Jus Saxonicum Electorale, & Ducale. Jure enim Saxonico Electorali ea, quæ ſupra poſui, obſervantur; jure vero Ducali diſtingvitur inter virgines, & viduas, qvæ in negotiis extrajudicialibus omnia valide agunt; & uxores qvæ opus habent curatore. *Richter deciſ. 27.* qvem allegat *Struv. Exercit. 31. th. 94.*

§. XIV.

Sed objicies, poſſunt mulieres ex mente Carpzovii absqve Curatore alienare, qvod ex ſupra allegata *def. 1.* conſtat, ergo falſa eſt antecedens theſis. Reſpondeo, poſſunt quidem alienare, ſed res mobiles ſolummodo, cum jure Saxonico communi viduis, & virginibus plus liceat, contrahere, tranſigere, & extrajudicialiter renuntiare favoribus, & privilegiis. *Col. p. 1. dec. 67. n. 40. & autor. ἀνόνυμ. jur. Sax. diſcrep. p. 2. Conſtit. 14. differ. 14.*

§. XV.

Igitur qvicunqve contrahunt cum fœminis absqve curatoribus, imputent ſibi, quod ſibi non meliori modo proſpexerint, & in poſterum cautius diſcant mercari.

Theſ. XVI.

Inprimis etiam mulieribus in cauſis civilibus ſingulare præſtat præſidium SCtum Vellejanum, qvod Vellejus Conſul cum Collega ſuo M. Silano introduxit, ne pro aliis firmiter intercedere, aut fidejubendo obligari poſſint *l. 1. in pr. & l. 2. §. 1. ff. ad SCt. Vellej.* Cujus privilegii ratio in promtu eſt; infirmitas ſcilicet, levitas, & conſilii fragilitas *l. mulier. 22. Cod. eod.* De qva impulſiva cauſa ad evitandas ταυτολογιας, & ne crambem bis, terqve coctam apponam, merito nihil ulte-

rius

rius dicam. Aſt qvid de paupertate dicendum, an hæc occaſionem dederit dicto SCto valde dubito. Scimus enim ex *l.* 21. *ff. d. t.* qvod ſi pecunia in rem mulieris fuerit verſa, valide illa obligetur. Sed urgebis, hic nullam metuendam eſſe paupertatem. Inſtabit paupertatem pro cauſa impulſiva agnoſcens, hoc contra memetipſum allegari, ſed perpendat modo, qvam lubricum ſit aſſertionis ſuæ fundamentum. Sit pecuniam in rem mulieris fuiſſe verſam, ſi vero fuerit prodiga, qvid tunc? nonne tam facili negotio ad paupertatem poteſt redigi, qvam ſi non pro alio interceſſerit.

Theſ. XVII.

Mitto hæc, cum longe jucundioria conſideranda ſint. Non omnia qvidem qvæ huc ſpectant, in medium proferam, ſed ſaltem ea, qvæ maxime neceſſaria eſſe judicavero, attingam. Ante omnia vero remotive, & poſitive perluſtrandi erunt caſus, in qvibus fidejubendo obligare ſeſe poſſit mulier, & in qvibus non valeat. Primum qvod attinet, in dubio lis eſt, an fidejuſſio mulieris firma ſit, ſi beneficio SCti Vellej. renunciaverit, rationem dubitandi præbet quia SCt. V. propter fragilitatem ſexus muliebris eſt inventum *d. l. 2. §. 2. ad S. V.* nulla exinde præjudicabitur renunciatione, qvippe qvæ & ipſa fragilitatis non minima nota eſt, & documentum. *Carpz. in tr. de jur. fœm. ſing. decad. 4. poſ. 2. n. 12. & alleg. Dd.* Sed cum cuilibet favori pro ſe introducto renunciare permiſſum ſit *l. ſi judex 41. ff. de min.* qvid impedit, & hoc fœminis licere. Et qvid ſi in judicio facta ſit renunciatio, & explicatum inſciis mulierculis vis, & favor SCti ſæpe dicti? tunc enim nullum dubium amplius ſupereſt interceſſionem earum fore firmiſſimam. Vid. elegantiſſime hanc rem explicans *Cz. in alleg. tr.* qvo me remitto, & ne lucem ſoli præferre videar, omnium aliarum exinde fluentium concluſionum libentiſſime ſuperſedeo.

§. XVIII.

Poteſt itaque mulier pro extraneo intercedere, fidemque ſuam interponere renunciatione facta, quid vero, ſi pro

 marito

marito fidejuſſerit,& in hoc ſpeciali caſu non ſolum Jur. Civili *ſec. Nov. 134. c 8.* & inde deſumtam *Auth.* ſi qua mulier *C. ad ſenatus l. Vell.* Sed & jure Saxonico Electorali renunciatio mulieris, pro marito intercedentis non aliter valet, niſi jurata ſit. *Conſt. Elect. 16. in pr. in ſpec. verb.* oder ſie hätten dem *beneſ. SCti Vellei.* mit dem Eyd renunciiret *add. Carpz. def. 2. ſeqq.* ubi *def. 3.* tradit, quod nec valeat conſtitutum viduæ, debitum mariti jam defuncti absque juramento in ſe ſuſcipientis, & *def. 6.* probat, quod renunciatio mulieris facta ſub promiſſione fidei (an Eydes ſtatt / und bey dem Worte der ewigen Warheit) non habeantur pro jurata & valida renunciatione, niſi addantur verba: So wahr ihr Gott helſe. Et hæc opinio Carpzovii expreſſe confirmata eſt in *deciſ. Elect. noviſſ. 25.* In aliis autem terræ Saxonicæ provinciis renunciatio ſub promiſſione fidei facta, juratæ æquipollet. *Richter dec. 4. diff. 6. & Vol. 2. Conſ. 135. & 268. n. 4. add. Franzk. ad ff. de jurejur. à n. 13. usque 30. Struv. exerc. 17. th. 11. ſſeqq.* ſiquidem alias interpoſitio fidei juramento æquiparatur, & tantum operatur præſtatio fidei, quantum verum & corporale juramentum, *Gail. 2. Obſ. 59. n. 1. ſeqq. Richt. dec. 53. n. 1. & 5. & ad l. 41. C. de tranſact* Uti præjudiciis confirmat *idem Richter Vol. 2. Conſ. 252 n. 17.* Quod præcipue etiam ad res dotales optimo jure extendi poteſt, quoad has enim mulierem etiam asque juramento iis in locis, ubi hoc moribus introductum eſt, valide intercedere pro marito, ipſe concedit *Carpz. def. 7.* De his omnibus vid. *aut anonym. diſcrep. jur. Saxon.*

Theſ. XVIIII.

Dixi de caſibus,in quibus liceat ſolutis,& maritatis intercedere pro extraneis, conjugibusque,& quidem poſitive. Remotive vero univerſaliter aſſero, in onmnibus reliquis, qui ab adductis excepti ſunt, nullam, invalidam, inutilem, & nocivam reſpectu creditorum eſſe ſidejuſſionem fœminarum.

§. XX.

Ceſſat ergo SCti Vellej. exceptio in caſibus antea allegatis

legatis, ſed dantur etiam plures perſonæ, qvibus nullo modo poſſit eſſe emolumento. Ad qvam claſſem referuntur 1) fœminæ illuſtres, quæ territoria gubernant. *Berger. in Oecon. jur. L. 3. tit. 3. n. 8. not. 4.* qvod etiam ad jurisdictionalia habentes extendit *Hering. de fidej. c. 7. n. 417. & ſeqq. C. J A. ad SCt. Vellej. th. 5. n. 22.* & rationem dat, *Cz. p. 2. C. 15. def. 9.* qvia indignum foret, ſi tales fœminæ ſexus fragilitatem allegare vellent, ſed hanc ſententiam *Sam. Stryck in Annot Lauterb. ad SCt. Vellej.* incognitam juri eſſe notat, cum etiam fœminæ illuſtres ordinariis jurium beneficiis utantur. 2) mercatrices, ut tales, qvæ qvoqve ex cambio obligantur, & contrahentes, & fidejubentes, modo formula non ſit omiſſa: nach dem Wechſel-Recht. *Ill. Berger.* in *Oecon. jur. L. 4. tit. 30. §. 4. not. 4. & L. 3. tit. 3. §. 8. n. 4. Wiſſenb. diſp. 30. th. 10.* qui quoque mulieres, negotiationem communem aut cauponariam exercentes, ejusdem conditionis hodiernis moribus eſſe judicat. 3) obærata, quam duxit maritus dives. *Gail. 2. obſerv. 90.* 4) quæ ſuum magis, quam alienum negotium geſſit, cujus rei exemplum exhibet Paulus *in l. debitrix 24. pr ff. ad SCt. Vellej.* debebam tibi centum: mulierem, qvæ mihi tantundem debebat, tibi delegavi, promiſit mulier ſe ſoluturam ei, cui delegata eſt; non utetur exceptione. *d. l. 24. l. 2. C. eod.*

§. XXI.

A ſcopo fere aberrare videor, dum de muliere obſtante acturus, mulierem non obſtantem exhibeo ſed præterea, quod qvæ §. *praced.* dicta ſunt ὡς ἐν παρόδῳ attuli, ſic etiam contraria juxta ſe poſita etiam rem aliqvam plus illuſtrant, qvam obſcuram reddunt. Reſtat vero, ut qvasdam mulierum obſtantium ſpecies in ſcenam producam, anteqvam ad cauſas eccleſiaſticas faciam tranſitum.

§. XXII.

Obſtant mulieres inprimis *creditoribus* ratione dotis, & juris prælationis, qvod ob favorem dotis conceſſam præ reliqvis creditoribus poſſident; *obſtant* qvoque *hæredibus*, qvi Geradam, Morgengabam, dotalitium, cibaria domeſtica, portion

tionem ſtatutariam, præſtare tenentur, & aliis innumeris modis; de qvibus omnibus ac ſingulis paucis diſſeram.

§. XXIII.

Ut de hypotheca privilegiata, qvam habet uxor in bonis mariti ad ſecuritatem dotis, initium faciam. Expediti juris eſt, uxores ratione dotis, cujus directum habent, dominium per *l. 75. ff. de jur. dot.* concurrentibus, & undeqvamque confluentibus creditoribus, poſt illos qvidem collocari, qui ſingulare jus prælationis habent, ſed reliqvis hypothecariis omnibus indiſtincte ſive tacitam, ſive expreſſam hypothecam habentibus, præferri. Quod facillime per *l. aſſiduis. 12. C. qui potior. in pign.* probari poteſt; adeo, ut hypothecarios etiam anteriores, tacito pignore obligatos, ſecundo poſt ſe relinqvant loco; inverſo ſane prioritatis ordine, ac præcedentia, quam prior hypothecarius jam obtinuerat, eidem erepta. ex ſentent. ſæpe *laud. Cz. in tr. ſupra. cit. dec. 5. poſ. 4. n. 13.* Sed apud Saxones longe aliud obtinet, ob qvam cauſam mulieres Saxonicas longe deterioris conditionis eſſe cenſeo, iis, qvæ in locis degunt, ubi jus Civ. obſervatur. In Saxonia enim, & ubicunqve jus Saxonicum viget, ob expreſſam *Elect. Conſt. 28. v.* allen andern Glaubigern/ *& p. 1. Ord. pr. jud. tit. 43. in pr. verſ.* aber gleichwohl nicht denenjenigen. omnibus creditoribus hypothecam habentibus anteriorem expreſſam, poſtponuntur. *Carpzov. l. c. & Conſt. 28. def. 64. Richter. in tr. de priv. credit. c. 3. ſect. 1. n. 67. ſeq Ord. proc. Sax. Goth. c. 18. §. 8. ibi:* In der andern Claß / ſollen diejenigen &c. Quid vero tunc obſervetur, ſi de prioritate hypothecæ non conſtet, deciditur in *Ord. proc. Sax. t. 43. §.* Wenn ſi aber *ult. & pen.* qvod ſcilicet in eo caſu primum occupet locum uxor, ſecundum pupillus, tertium fiſcus, ceteri vero pari jure gaudeant.

§. XXIV.

§. XXIV.

Hæc omnia, ſi de allodialibus loquaris, rite procedunt, quodſi vero de feudis quæſtio oriatur, tunc hæret aqua, & graviſſimæ circa hanc rem oriuntur controverſiæ. Acerrime enim pugnatur, an jure feudali uxores, viduæ & filiæ jure repetendæ dotis vel extra concurſum, vel in concurſu creditorum, tacita hypotheca afficiant feuda, & jure prælationis aliis nocere poſſint. Hic quot capitum, tot ſenſus eſſe deprehendo; aſt cum non autoritatibus ſed legibus pugnandum ſit, quicquid Bartolus, antiquiſſimus ille ſubtilitatum ſcrutator diſtinguat; & hypothecam tacitam ad dies vitæ mariti adſtringat, firmo tamen ſemper pede ſtabit ſententia, autoritate legislatoria Electoris Saxonici corroborata, quod uxori in ſubſidium in feudalibus bonis hypotheca quoque ſit conſtituta *Ord. proc. Saxon. tit.* 45. § 11. ex qva conſtitutione liquet, quod hypotheca tacita non detur, ſi ex allodio viduæ defuncti, vel uxori in concurſu creditorum ſatisfieri poſſit. *arg. d. t.* 45. Sed Jure civili, & Saxonico communi nullam in feudo mulieribus dari hypothecam tacitam, defendunt *Carpz. Habn. Berlich. Neguſant. Richter.* allegati â *B. Srryck. in uſ. modern.* n. *L. 20. tit. 2.* §. 46. in toto Romano Imperio receptum eſſe, ut viduæ habeant etiam hypothecam tacitam in feudis aſſerit *Goſwin. ab Eſpach ad Carpz. p. 2. C. 25. def. 1.* An vero in praxi, & moribus Germaniæ idem, quod Jure Saxon Elect. obtinet, obſervetur, in dubium vocat *B. Stryck. l. alleg.* & negativæ plus, quam affirmativæ favere videtur, cum fundamentum, quod pro affirmativa pugnantes *Mev. Klock. Mynſing. Brunnemann, & Pruckmann* ponunt, ſcilicet uxores, vel viduas jure retentionis uti poſſe pro dote ſua conſequenda, ex eo corruere cenſeat, quia à jure rerentionis ad tacitam hypothecam non procedat argumentum, & mulieri non ſtatim pro dote conſequen-

etiam in dotalitio obtinet, quod in locum dotis tranſire, & cum dote iisdem privilegiis gaudere teſtantur *Mev. p.1. dec.173. Cz. p 1. C.28. def. 91. n.7. Richt. de jur. & privil. Credit. C. 3. ſect.1. n.63. ſeqq.* Paraphernalia autem bona, licet in horum ſecuritatem in allodio hypotheca tacita ſit conceſſa, attamen in feudo nullum ſibi vendicant locum. *Cz. de oner. Vaſall. feud. dec. poſ. 4. n. 21.*

§. XXV.

Reliquas quatuor ſpecies mulierum in cauſis civilibus ſecularibus obſtantium, mulieris nimirum Geradam, Morgengabam, Dotalitium, cibaria domeſtica, portionem ſtatulariam, aliasque res ab hæredibus ſibi debitas, primis ſolummodo deguſtabo labris, & cum hæc omnia ex jure hæreditario, tanquam ex proprio fonte fluant, ideo jure meritoque uno paragrapho earundem complectar explicationem.

§. XXVI.

Gerada, qvæ alias etiam bonorum utenſilium nomen accipit. Land-R. *l. 1. art. 5. & 24.* Arredium à Dd. nuncupata, qvæ tamen ſpecies nullam connexionem cum Gerada Saxonica habent, ut cenſet *Cz. in ſep. c. tr. dec. 6. poſ. 1. n. 4.* datur filiabus in rebus utenſilibus ex hæreditate materna, vel etiam nepotibus ex filiabus mortuis, & qvidem concurrentibus cum filiabus jure repræſentationis. *Struv. Exerc. 38. th. 25.* Etiam ſpuriis, qvæ una cum legitimis, matris Geradam accipiunt. *Carpz. def. 58.* Quemadmodum vero jus Geradæ Jure Saxonico introductum eſt, ſic qvoqve idem jus multis in locis ob incertitudinem, & controverſias, qvæ de ea moventur, & unde dictum fuit olim: Eine Gerade macht viel ungerades abrogatum eſt, teſte. *Celeb. Berger. Oecon. Jur. l. 2. tit. 4. §. 40. n. 19.* Morgengaba vero, ſive ſponſalitia largitas duplex

duplex eſt, vel enim datur ſecundo die nuptiarum à ſponſo ſponſæ in ſolatium amiſſæ virginitatis, vel ex legis diſpoſitione poſt obitum mariti viduæ defertur. Land-R. *l. 1. art.* 20. Prior, qvæ datur ſponſæ â ſponſo nullis incluſa eſt limitibus, poſterior vero certo modo determinata eſt. Spectant minirum huc pecudes fœmellæ, ut vaccæ cum vitulis, capræ, ſues, ſeu ſchrophæ, qvotqvot harum omnium in agris paſcuntur. *L. 1. ſpec. Saxon. art.* 24. & aliæ quotquot ſint, exceptis eqvis, qvæ currui vel aratro junguntur. *d. art.* 24. Dotalitium dicitur ille uſusfructus, qvi à marito uxori in compenſationem dotis conſtituitur, & vulgo vocatur Leibgedinge. Et hoc regulariter inter nobiles, illuſtresqve perſonas obtinet, nomine Withumb ipſi attributo, interdum vero ſi per pactum expreſſe promittatur, ad ignobiles quoque ſe extendit. *Stryck. annot. ad Lauterb. p. m. 689.* diſſent. *Coler. p. 1. deciſ. 60. num. 2.* Notatu vero dignum eſt, qvod dotalitium non amittatur ſecundis nnptiis, Wenn gleich die Wittbe ihren Wittben Stuhl verrückt / cujus rationem ſolidiſſimam affert *Berger. in Oecon. jur.* qvod natura uſusfructus hæc ſit, ut nuptiis ſecundis amitti non poſſit. Cibaria domeſtica, vel ſi placet commeſtibilia appellitare, dantur viduis, qvæ capaces ſunt dotalitii, & ſunt ejusdem quaſi acceſſoria. Complectuntur vero dimidiam partem eſculentorum, & poculentorum, unde nomen Mußtheil accepere, qvaſi dicas: ſie muß theilen. *Celeb. Berger. ſæp. alleg. Oecon. jur. L. 2. tr. 2.* §. 44. Qværitur hic, an ſolis nobilibus fœminis competant cibaria, reſpondetur limitando, ad nobilium viduas ſpectare iſta commeſtibilia de jure, plebejis vero non, niſi matrimonium contrahentes ipſimet ſibi legem dixerint, aut conſvetudine, vel ſtatuto ſpeciali ipſis ſit proſpectum deferri. *Cz. d. tr. dec. 7. poſ. 5. n. 27. ſeqq.* Hinc hæredes huic oneri nullo modo ſeſe poterunt ſubtrahere, ſed ſive velint, ſive nolint, tenebuntur ad præſtationem ejus, quod maritus viduæ promiſit. Portio ſtatutaria è contrario ignobilibus quaſi propria eſt, nec ad nobiles

introducta eſt. Alio modo jure Saxonico comuni, alio qvoqve modo Electorali jure hæc portio ſtatutaria defertur viduis. Priori enim obſervatur *Nov. 117.* & viduæ, ſi tres adſint liberi, quartam hæreditatis partem, ſi plures portionem virilem accipiunt, *Richt. de ſucceſſ. ab inteſt. ſect.* 4. *membr.* 4. *Cz. c.* 20. *def.* 15. collato tamen mundo muliebri, & Gerada. *Struv. exercit.* 38 *th.* 41. Poſteriori vero ſcilicet jure Saxonico Electorali extantibus liberis quarta, non vero extantibus, tertia pars omnium bonorum pro portione ſtatutaria habetur. *Conſt.* 20. §. wo aber dieſe Dinge &c. Dixi antea, quod portio ſtatutaria plebejis viduis quaſi propria ſit, quod non aliter accipi velim, quam ſi nolit vidua nobilis eadem cum ignobili gaudere conditione. Hoc enim caſu ab arbitrio ejus pendet, an jura Morgengabæ, & cibariorum domeſticorum cum dotalitio petere, an vero iis repudiatis, portionem ſtatutariam eligere velit. Quid enim, ſi pinguior eſſet portio ſtatutaria, quam reliqua ipſius jura mox nominata, tunc enim abſonum certe eſſet, privilegium nobilitatis damno ipſis cedere: *l. Senatores 11. in fin. ff. de Senat.*

§. XXVII.

Etſi plura obſtacula nominare poſſem, quæ mulieres aliis ob favores pro ſe introductos præbent in cauſis civilibus ſecularibus, attamen ea mitto, & cauſas *eccleſiaſticas* paucis tangam. Mulierum vero vero hoc loco duo præcipue exiſtunt genera. Primum genus eſt viduarum a miniſtris verbi divini relictarum, quarum cauſæ apud proteſtantes ſine omni dubio ad conſiſtoria pertinent, & in iis ventilantur; cum omnes cauſæ eccleſiaſticæ coram judice ecclaſiaſtico ſint tractandæ, & jurisdictio eccleſiaſtica in perſonas eccleſiaſticas & in cauſis eccleſiaſticis exerceatur *Cz. p. 3. def. 2.* Alterum eſt omnium ſimpliciter fœminarum, quæ in cauſis matrimonialibus aliis obſtant.

§. XXIIX.

§. XXIIX.

Ut taceam, viduarum cauſas ſummariter eſſe tractandas, & per neceſſariam conſequentiam ejusmodi viduarum cauſas ſine omni ſtrepitu, & proceſſus judiciarii ſolennitate in Conſiſtoriis abſolvi, qvod multis, qvi magis amant ordinarium, qvam ſummarium proceſſum, in qvo nulla feſtinatione opus, ſed commode lites in æternum protrahi poſſunt, placet mirum in modum, & hinc habent, qvod contra mulieres conqverantur; non poſſum tamen ſingulare beneficium viduis miniſtrorum eccleſiæ in terris Ducis Saxo Gothani ſilentio involvere, qvo cautum eſt, ne ratione pecuniæ, quam dimidio anno gratiæ ſic dicto currente, accipiunt, quemadmodum etiam ratione illius, quæ qvotannis ex fiſco paſtorali ipſis porrigitur, ab ullo creditore conveniantur *ſec. ordin. territ. Gothan. part. 1. cap. 5. tit. 4. in fin.* verbis: und wollen wir nochmals / daß / wie bey vielgedachten ſynodo geſchloſſen / dieſe gnädige Beyſteuer / wie auch was von obgedachten halben Gnaden-Jahre ihnen zukömmt / von keinen Creditore in Anſpruch genommen / ſondern gedachten Wittben / und Waiſen zu ihren Unterhalt frey gelaſſen werden ſollen. Generalia ſane verba ſunt, ſed tamen minime gentium eo extendenda, ut viduæ mala fide æs alienum contrahenti, auxilium, & præſidium contra qvoscunqve creditores præſtare poſſint. Omnibus idcirco creditoribus dictum eſto, ut circumſpecte agant, & non tam faciles ſint ad mutuum dandum dictis perſonis, ſed prius inqvirant in eorum facultates, an res ampla, vel anguſta domi ipſis extet, nam alias contra pauperes & inanes actio erit inanis, ſi vero his omnibus neglectis, & deliberatione poſthabita, mutuum viduis dederint, ob oculos ſibi ponant in mutuo ſingularem latitare emphaſin; ita qvod *meum* eſt, *tuum* erit, & in tali caſu, ſi crediderunt miſericordia moti, ſolatium accipiant exinde, qvod in altera vita aliqvando reſtitutionem à ſummo judice accipient, ſi

eſſe arbitrantur, ſe rebus ſuis privari, perpendant ſolummodo, ſe ſua culpa damnum ſentire, & vigilantibus non dormientibus jura eſſe ſcripta.

§. XXIX.

In cauſis eccleſiaſticis matrimonialibus obſtant fœminæ l. viris, vel inter ſe. Hoc ſæpiſſime & toto die accidere ſolet, & Conſiſtoria Evangelicorum, quemadmodum etiam apud Pontificios judicia eccleſiaſtica vivis exemplis demonſtrant, à viduis, & juvenibus, virginibus, & maritis orbatis non raro ſponſalia cum pluribus ſimul contrahi. Hic vero ſive ponas, juvenem cum pluribus puellis, vel viduis, vel vice verſa puellam cum pluribus juvenibus, vel viduis, de futuro matrimonio inire promiſſionem, ſemper unus vel una obſtabit alteri, & hinc evenit multoties, quod duæ ſponſæ unum poſſideant ſponſum, & cum neutra à jure, quod prætendunt, quæſito recedere velit, neceſſario exinde fluit, ut cauſa cognita, vel una locum teneat, victa altera, l. utraqve relicta à ſubdolo juvene, vel viduo, doleat, tam credulas, blanditiis ſe admoviſſe aures. Ut vero diſtincte cognoſci qveat, qvænam pars in tali concurſu plurium ſponſaliorum alteri palmam præcipiat, hic diſtingvendum eſt, an concurrant 1) ſponſalia pura & perfecta cum ſponſalibus itidem puris & profectis, & eo caſu cæteris paribus, qvi prior eſt tempore, potior eſt jure *arg. l. 2.* §. 10. *l. 11. pr. l. 12. pr. ff. qui pot. in pign.* 2) Jocoſa cum ſeriis, tunc poſteriora prioribus ſine omni dubio præferuntur, quia jocoſa per ſe non ſunt obligatoria, niſi ad pœnam ſcurrilitatis, à ſponſo ſcenico luendam *arg. l. 3. pr. ff. de ſerv. corrupt.* ſic 3) publica clandeſtinis longe anteponentur, ratio, quia clandeſtina pro ipſo jure nullis habentur. Eodem modo 4) ſponſalia cum concubitu firmioris erunt obligationis, quam iſtæ, quæ ſine concubitu celebrantur; ſi enim clandeſtina quoque ſponſalia rata & firma habentur, ſi copula carnalis acceſſerit

rit

rit *Beuſt. de ſponſal. c. 14. Cypræus de ſponſal. c. 10.* §. 10. multo magis publica ſponſalia, concubitu robur & indiſſolubilitatem accipient. Nec proteſtatio ſponſi præſente & conſentiente ſponſa facta, ſe per ejusmodi ſponſa copulã in matrimonium conſentire nolle, tanqvam facto contraria, aliquid operatur. *Menoch. l. 3. præſ. 1. num. 15. Bruckner. dei. matrimon. c. 4.* §. 29.

§. XXX.

In *criminalibus cauſis* valde dubium eſt, an fœminæ bono publico obſtare poſſint. Non inter ſe conveniunt, hac in re, & jura, & Interpretes jurium. Jure Canonico enim certum eſt, qvod veniam indulſerit Pontifex Alexander III. ſeqviori ſexui *in c. ſicut dignum 6. x. de homicid.* etiam in homicidio, qvam ſententiam juri divino contrariam eſſe cenſet *Carpzov. tr. c. decad. 10. poſ. 2.* & ſi dicendum, qvod res eſt, reſpectus perſonarum in delictis ſangvinis nullum poteſt ſibi vindicare locum, nec jus gratiæ ibi poteſt exerceri, cum ſummus legumlator legem univerſalem nobis promulgaverit: qvi effuderit ſangvinem, hominis, illius ſangvis iterum per manus hominum effundetur. Et neſcio qvomodo *c. 1. x. de homicid.* cum *alleg. c. ſicut dignum* conciliari poſſit, ibi enim allegatur dictum *Exod c. 21. ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Hic nulla ratio ſexus habetur.

§. XXXI.

Non itaqve parcendum Sexui muliebri in deteſtandis Delictis, ut in parricidio, veneficio, aſſaſſinio, & latrocinio, qualificatorum criminum corpore iſto infauſtiſſimo. Neque in his miſericordiæ judicis locus eſt, cum etiam reipublicæ interſit puniri maleficia. *Tiraqu. præf. tr. de pœn. mitius. n. 3.* & niſi parata blasphemis forcipes, homicidis gladii furibus patibula, ſeditioſis carcer eſſet, plures in civitate improbi, quam in ſylvis beſtiæ eſſent, *Guevarr. in horolog. princ. l. 3. c. 3. n. 447.*

§. XXXII.

Longe aliter ſeſe res habet in reliquis delictis, adulterio, ſtupro, furto, & quæcunque ſint ejusmodi farinæ; ibi enim principi manus non ſunt ligatæ, ſed quomodocunqve ipſi placuerit, pœnam mitigare, qvin imo aliqvando abolere poteſt, qvi vero poteſt majus, poteſt etiam minus.

§. XXXIII.

Facile ergo ad §. *29. princ.* remotis omnibus in contrarium allatis poteſt reſponderi. fœminas in criminalibus cauſis non obſtare bono publico, & vindictæ, niſi quatenus à ſummis principibus ex ſingulari gratia ipſis conceſſum fuerit. Huc poteſt referri *Nov. 134. c. 10. auth. ſed bodie. C. ad L. Jul. de adult. Ord. Crim. Car. art. 120.* ex quibus manifeſtum eſt, qvod mulieres nuptæ ob commiſſum adulterium non ſupremum ſupplicium, ſed mitiorem pœnam ſuſtineant, ſcil. qvod delicti hujus convictæ virgis cæſæ, ac tonſæ in monaſterium detruduntur.

§. XXXIV.

Concluſionis loco oblivioni tradendum non eſt, ſingulare mulierum gravidarum privilegium, quo a tortura liberæ redduntur, donec enixæ fuerint, & poſt editum partum adhuc ſex ſeptimanæ iſtarum refectioni concedantur. *Jac. Leickber. in nucl. Saxon. Conſtit. p. 4. Conſt. 4 p 507.* quod ſex ſeptimanarum ſpatium non in omnibus locis tam ſtricte obſervatur, ſed interdum ob lactandum partum extenditur.

§. XXXV.

Sint hæc qualiacunqve, rudi, ac fugitivo quaſi penicillo ob temporis penuriam adumbrata de muliere obſtante conamina. A te vero, quicunque perluſtraveris hoc inaugurale ſpecimen, obnixe rogo, ut omnia æqui bonique conſulas.

T A N T U M!

CORRIGENDA.

P. 5. lin. 10. pro *judicio* lag judico. p. 7. §. 1. part. ſpecial. pro eccleſiiaſticis leg. eccleſiaſticis. p. 8. §. 5. lin. 5. pro uberima leg. uberrima. p. 9. §. 8. lin. 11. pro fœminninas leg. *fœminas*. p. 10. §. 10 lin. 1. pro antequm leg. *antequam*. p. 14. l. 10. pro fiidei leg. *fidei*. ead. p. §. 19. lin. 3. pro onmnibus l. *omnibus*. reliqua ſphalmata emendabit æqvus Lector.

VA11521472